



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Justinus M. 23. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

238 VITÆ SANCTORUM. 13. April.

*Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat, Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc æstuantis inxuria flammâ decoquitur, ita postmodum gehennæ incendiis consumetur. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 6.*

S. JUSTINUS M. 23. Aprilis.

**J**USTINUS Philosophus Palestinâ oriundus literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes accerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Judæi Gentisque adversus Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarium subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior numquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine stetit. Nam cum  
cref-

13. April. VITÆ SANCTORUM. 239  
crescentem vitâ & disciplinâ Cynicum,  
ignorantiâ hominis multoque magis can-  
inâ impudentiâ offensus, publicis con-  
gressibus vicisset, ea res scilicet canem  
illum ad vindictam inflammavit. Nulla  
ratio perdendi JUSTINI aptior visa,  
quàm si ut Christianum allatrasset. Exo-  
sum id nomen iterum esse cœperat & ca-  
pitale. Ergo structæ D. JUSTINO insi-  
diæ haud sanè nolenti, captus rogatus-  
que Christianusne esset; affirmavit. de-  
fereretne sua sacra; renuit, Mortem su-  
biret; voluit; id Christo mortalium se-  
vero judici gratum, sibi utilissimum fore  
affirmans; ac mox cervice securi subje-  
ctâ, vitam perdidit, perditurus, nisi  
perdidisset. Ex Surio & Baron.

*Si unus omnium ad vitam introitus &  
similis exitus diligenter attenditur, varie-  
tas illa, quæ versatur in medio; necesse est, ut  
tanquam volax fugacis somni vanitas  
contemnatur. B. Dam. l. 7. Ep. 5.*

S. HERMENEGILDUS M.

13. April.

Ostendit HERMENEGILDUS, quan-  
do tandem negare obedientiam pa-  
rentibus, etiam cælo arridente, liceat.  
Cum enim patrem haberet Leovigildum  
Wisigothorum Regem, & hæresi Ar-  
rianæ oppidò addictum, ipse sanio-  
rem fidem a Præsule Leandro didicit.  
Seq